



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De duobus dæmoniacis, Sermo XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

infirmitati, vade, & vadit. *Alij, veni, & venit.* Hoc est, dic sanitati veni, & venit. *Et seruo meo fac hoc, & facit.* Ille puer meus erit & tuus seruus, cum receperit sanitatem. Audiat: quid audiat? Sanus factus es, iam noli *Ioan. 5.* peccare; faciat iustitiam, ut liberetur à paraly. si omniū peccatorum, & possit psallere cum Propheta: Conuer. *Psal. 22.* tere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte; oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuorum. Fratres, imitetur Centurionem, qui ad centesimum fructum desiderat peruenire. Ne ergo leuiter Centurionis huius prudētiam transeamus, hodie de ipso dicta sufficient: quia mysterium permagnum est, quo Iudæus geritur in figuram.

De duobus dæmoniacis, Sermo XVI I.

Christus quod trāsfretat maria, quod loca cīcuit; non est res humani desiderij, sed causa est salutis humanae. Ambulat Christus, non ut videret loca, sed ut homines, qui variis casibus perierāt, inueniret. Qui loca fecerat, quid noui videret in locis? Aut illi quid aberat, qui vbique erat? ut homo videbatur in locis, sed vbique videbat ut Deus: videbat vtique, & desperatos videbat, quibus ibat diuina remedia largitus: ibat ad eorum curam, quibus humana iam defecerat cura: sicut hodierna probatum est lectione. *Cum venis- set, inquit, Iesus trans fretū in regionē Gerasenorū, occurserunt ei duo, habētes dæmonia, de monumētis exeūtes saui nimis, ita ut nemo posset trāsire per viā illam.* Luber scisse, & vidisse Dominum quid mali, quid periculi illis haberetur in locis: & ideo illuc esse; ut sic desperatis, afflīctis, sic miseris subueniret. *Occurrerunt ei duo dæmoni habentes, de monumentis exeūtes.* In monumentis sedem fecerant

fecerant mortis authores. Attendite quæ sauitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus: quamvis breue tempus hominum ferre non possunt: contenti non sunt mori homines, sed viuos homines gestiunt sepelire: se sepulchris mandant, ut homines redigant in sepulchra: pascuntur cadaueribus, putredine saginantur: deliciantur fætore, quibus tota voluptas est homines interire. Sed seritiamus quid machinentur fraudibus, quid moliantur malis, quorum crudelitas modum non habet in aperto. Quid faciunt isti quando diuitias ostentant, ut auaritiam serant? ut inserant superbiam, pompam proponunt, singularitatem venditant, ut quod est communionis, excludant? ut iram nutriant, causas colorant? ut pietatem violent, affectibus dant querelas? philosophiam fingunt ut faciant nihil scire homines plus quærendo? deos multos figurant, ut Deus, qui unus & verus est, nesciatur? Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes. Quando ad duos homines dæmonia multa, ad unum legionem totam significat conuenisse: hoc ideo facit, ut doceat cauendos esse dæmones, non timendos, simulque monstrat, quam sit potentia Christi singularis, quod nomine solo Christi fugatur omnis dæmonum multitudo. Occurrerunt ei duo, dæmonia habentes. Exhibiti non volentes venerunt imperantis iussu, non suo ausu, attracti sunt inuiti, non sua sponte currentes: denique ad præsentiam Christi homines exeunt de monumētis, & versa vice captiuos ferunt, à quibus fuerant captiinati, sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur: aptant ad sententiam, à quibus addicti fuerant iam sepulchris. Occurrerunt ei dæmonia habentes sani nimis, ita ut nemo posset transire per eiam illam. Videlis quia dæmones venientibus ad Christum præcluserant viam: transitum denegarant. Etenim dæmonum

num ista cura, ne ad Deū homines possint redditū inuenire. Non enim aliter possunt homines possidere, nisi vos ab auctoris sui societate subducant. *Ita ut nemo posset transfire per viam illam.* Hinc est quod Christus factus est via. *Ita ut nemo posset transfire per viam* *Ioan. 14. illam.* Illam non istam. Ego sum, inquit via. Ut ad viā per viam, ad Deum per Deum venientibus obserterē vis dæmonū nō valeret; ad Deum nisi per Deū potest perueniri. Sed iā quid dæmones clamauerint, audiāmus. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Hoc est dicere: vitæ auctor quid tibi cū mortuis? Habitator cœli quid tibi cū sepulchris? Odor paradisi quid tibi cū fœtore? Quos de cœlo deieciſti, quos de paradiſo exclusisti, quibus nūc tollis vrbes, regiones habitabiles negas, permitte inabitare nos vel sepulchra; & si nos persecutione rāta digni ſumus, tu rāta nō es dignus iniuria. *Quid nobis & tibi?* Quid? quod iudici, & reo: quod vindici, & pœnali: quod Regi, & desertori. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Hoc dicunt poffessori fures, hoc domino prædones, tenēt spolia, prædā gestant: & quid ſibi cū eo ſit qui ſua reponſit, interrogant, *Quid nobis & tibi fili Dei?* Quid? vē reddatis homines, mūdū restituatis auctori: & veniēte creatore ſciatis vobis in creaturis amplius nil licere. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Veniſti ante tempus torquere nos? *Quid nobis & tibi?* Et vobis cū hominibus quid? *Quid nobis & tibi fili Dei?* Agnoscunt, agnoscunt Deū, iudicem conſitentur, claimant iudicium ſe debere, & de tempore præſcribunt. *Quid nobis & tibi fili Dei?* Veniſti ante tempus torquere nos? Auctori temporum tempus opponunt. Veniſti ante tempus torquere nos? De tempore ſic queruntur, quaſi iipſum cum tempore fecerint, vt viuos condiderint in ſepulchris? Veniſti ante tempus torquere nos? Tempus abſcindit, præuenit mortem, ſepelit viuos crudelitas immatura: & de tempore

re queritur, quasi ante tempus habere debuerit: & nō
vt exorta est mox puniri: de tempore causatur nequi-
tia saceruli indurata. Malis patientia breuis est, bonis
tarda vltio: quod læsis longum est, angustum est ad
lædentes. *Erat, inquit, non longè ab eis grex porcorum mul-*
torum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes, Si
eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Digna petit indi-
gna seruitus. Mitte nos in gregem porcorum. De monu-
mentis mitti se precatur in porcos nequicia: quia fœ-
tores amittere nescit, sed mutare. Mitte nos in gregem
porcorum. Cœnum petunt ruentes cælo: post æthereas
habitationes ambient volutabra porcorum. Mitte nos
in gregem porcorum. Grex in gregem mittitur, vt pro-
datur dæmonū multitudo: vt appareat hoc duos por-
tasse homines, quod numerositas non valuit sufferre
porcorum. Ait illis, Ite, at illi excuntes abierunt in por-
cos: & ecce impetu abiit totus grex per preceps in mare, &
mortui sunt in aquis. Traditur vile pecus non pro vo-
luntate dæmonum, sed vt tali facto innotescat, quo-
modo in homines sœuiunt, quomodo quærunt mor-
tes hominum, qui sic porcos vt perderent quæsierūt.
Dæmones omne quod est, agitur, mouetur, viuit, ar-
dent perdere, non habere. Ne quis ergo talis fieri ho-
mo præsumat, humano generi inimicitia vetus, fixa
ira, malitia destinata est. Dæmones nisi vici non ce-
dunt, lædere non valent nisi iussi. Traditur ergo vile
pecus, vt luceat dæmonib. in homines nil licere, qui-
bis in porcos iussum est vt liceret. Nos ergo aut virtutis
nostris facimus, vt illi accipiant potestatem
nocendi, aut virtutibus subiecta nobis
dæmonum colla Christo trium-
phante calcemus.

De